

cant. At quàm benè & quàm solidè id fiat, jam ostendendum est.

§. 4. Quod igitur de causâ efficiente attinet opinionem, illam debili admodum niti fundamento atq; rem expeditiorem nequaquam exhibere, sed falsitate potius obscurare quam maxime existimamus. Etenim à cœlo vel stellis, calore, frigore & exsiccatione humidi ortum lapidum & reliquorum mineralium ultimato derivare, falsum omninò est, & opus saniori minime dignum Philosophiâ. Non inficiamur quidem, ut de cœlo vel stellis prius dicamus, corpora cœlestia in hæc inferiora agere, suoq; influxu aliquid conferre ad corporum sublunarium, quæ vocantur, continuam productionem, & hæc ratione illis non accensendi sumus, qui influentias stellarum acriter impugnant, easq; asyllum vocant ignorantia, uti *Job. Pic. Mirandul. l. 3. contra Astrol. Perrer. in Gen. Agric. l. 4. § 5. de caus. subterr. Medina l. 2. de rectâ fide in DEum, Danaus in Phys. 1r. 4. c. 34. Marc. Erider. Wendel. sect. 3. Cont. Phys. c. 28. pag. 730.* Nam quò minus his accedamus, qui contemti admodum atq; viiisimè de concursu siderum judicarunt, prohibemur non tantum, quando in divulsam causarum inter se connexarum seriem & coherentiam pensitamus, sed etiam, quando quotidianam consulimus experientiam, cujus rei gratiâ præ omnibus videndus est *Incomp. Sperling. noster Instit. Phys. l. 3. c. 4. qv. 15. p. m. 555.* nihilominus tamen constanter asserimus, stellas ex generaliorum causarum loco non esse evehendas, neq; illis tribuendum particularem & determinatum effectum, qui ab illis determinatè in esse suo dependeat: Atq; hinc concludimus, sidera neq; specialiori influxu ad producendum lapidem concurrere, neq; usitato influxu hunc effectum determinare, neq; generali isto adeò efficaciter agere, ut causa particularis & determinata ad esse non debeat, ejusq; actiones evertat. Quæ nostra assertio atq; conclusio ex naturæ instituto, quo stellis specificam multiplicandi nullam, sed generalem tantum facultatem largita est, cui generantium virtutes subordinari possent, liquisimè patet, neq; hætenus aliud Naturæ institutum nobis ostensum est, quod pristinum illud, quodq; nos defendimus, redarguat solidè, atq; nos falsæ convincat persuasionis. Et certè influ-